

stentos monachos. Nec enim castrati sunt, ne tu sis insciens. Patres vocantur, ac frequenter efficiunt, ut hoc nomen vere competat in ipsos. Olim nusquam virgines honestius vivebant, quam apud parentes; nec alium habebant patrem, quam Episcopum. Sed obsecro, dic mihi, quod tibi collegium ex omnibus delegisti, cui te addicas in servitutem? *Ca.* \* Chryserciū. *Eu.* Agnosco, ædibus paternis vicinum. *Ca.* Recte. *Eu.* Atque pulcre novi totum hoc sodalitiū, dignum vero, ob quod patrem, ac matrem, & cognatam tibi honestamq; familiam repudies! Nam ille patriarcha jam pridem & ætate, & vino, & natura delirus est, nec illi quidquam jam sapit præter vinum. Habet duos sodales se dignos, Joannem & Jodocum. Quorum Joannes, ut fortasse vir malus non est, ita nihil habet viri, præter barbam; eruditionis ne pilum quidem, prudentiæ non multo plus. Jodocus adeo stupidus est, ut nisi veste sacra commendaretur, obambularet publicus in cuculla fatui cum auriculis ac tintinabulis. *Ca.* Mihi videntur viri boni. *Eu.* Melius istos novi, quam tu, mea Catharina. Isti fortasse sunt tibi patroni apud parentes, ut efficiant te \* profelytam suam. *Ca.* Jodocus maxime favet. *Eu.* O fautorem! sed fac, istic nunc esse viros doctos ac bonos, cras erunt indocti ac

*Chrysercium]* Fictitium nomen est: Videtur innuere collegium, quod est Gauda juxta claustrum, quo naues excluduntur aut admittuntur. *Profelytam]* Advenam, quæ ex Christi verbis in professionem & sectam monachorum, inque illorum verba, juravit. *Abulsum simul ad locum Matth. 23.*